



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 206. Et ponentes genua adorabant eum. v. 19.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

Ah! quam deformis effectus hic est pulcherrimus omnium creaturarum? quam elegantissima Christi facies omni decore & specie destituta est, vtpote ex verberibus & plagis, quibus ea nocte nimis affecta erat, tumidaque vnguium lacerationibus diuisa, nec non sputis à blasphemantibus commixtim in ea fluentibus, turpiter defœdata! mihi hic terrè vox hæret, & animus liquecit.

§. 206. *Et potentes genua adorabant eum. v. 19.*

Ista est 4. scena, quâ iam sputis, quasi tributis ditatum Dominum simularunt se recognoscere quasi potentem & diuitem benefactorem, & ideo se ambire eius gratiam, quam genuflexione & adoratione vellent sibi promereri, quam ludicre, quam scurriliter vero ista genuflexio, & adoratio sit exercita, qui nouit scurrarum inuenta potest æstimare.

Tu ergo Domine qui ista pro me passus es, da obsecro semper interius indeficientem in omni mea dehonoratione patientiam. memoria & laus tua non recedat de ore meo. Miserere mei Domine miserere mei & adiuua me sicut tu nosti, quod mihi est necesse in corpore & anima, scis enim omnia, potes omnia qui viuus in sæcula. Quod vero hætenus sæpe neglexi, te adorate mane, & adorare vesperi, & ante ac post cibum, & alijs condignis temporibus, pro hoc meo defectu offero tibi omnium SS. tuorum in cælo laudes, & creaturarum omnium benedictiones.

§. 207. *Et postquam illuserunt ei. v. 20.*

Finitus est Sannionum istorum Actus secundus, nunc tertius inchoatur, in quo ijdem simulant se, tanquam milites cum Rege suo nouo velle exire ad bellum, considerans igitur S. Marcus, quomodo egissent hætenus cum Domino suo, concludit in summa omnia dicta & vocat *illusionem*, quæ quàm solear nos homines amaricare, quantum grauare cordis cogitationes, optimè norunt, qui aliquando sunt illusi. Dolor ille est ad mortem, & zelum æternum. Illudere enim non est aliud, quam aliquem pro infano & stulto habere, hoc nemo ingenuus viribus naturæ ferre potest.

Quapropter ad te Deum protectorem meum confugio; illumina quæso interiores oculos meos vt nunquam illudam alijs, multo minus te, corrobora vires meas vt vincere possim zelum meum si quando illudar, maxime quando propter te. Munda cor meum, accende spiritum meum, intellectum illumina, cogitationes collige, omnesque vires meas vni, & constringe vticulo amoris & compedibus timoris tui, vt nunquam à te possim abalienari propter illusiones, sed semper tibi subditus, semper vni-

T

tus